

PRAEFATIO

antiquiorem deprehendere contingeret, quod ut facere possem, viro doctissimo Iosepho Král, qui codicis F conferendi laborem humanissime suscepit, acceptum refero. nec me spes fefellit. scilicet in tetralogia VII novum fontem, quem littera N significavit, e Vindobonensis F et Marciani 189 (S=Bekkeri Σ) cum veterum scriptorum testimoniis consensu agnoverat iam Schanzius¹; ego ex eodem fonte in *Gorgia* et *Menone* Vindobonensis F memoriam manasse demonstravi, quam rem gaudeo me viro doctissimo Hermannno Diels probare potuisse; nec, si res non verba spectas, valde repugnant alii. scilicet *recensionem* appellavi, quae mihi quidem recensio esse videtur; *memoriae non recensitae* rettulit professor Lipsiensis O. Immisch, qui scripta Platonica iam antiquitus multifariam tradita esse luculenter demonstravit². non nego—res enim manifesta est—nec puto Schneiderum de *vetere vulgata* sua ita sensisse ut crederet textum quemdam ab omnibus receptum unquam fuisse. scilicet non potuit vir tantus ignorare vel apud unum Stobaeum recensionis diversitatem apparere, cuius rei exemplum habes in apparatu nostro ad *Timaeum* 66 d sqq. sed nolo de hac re longus esse; illud tantum affirmo, Vindobonensi F memoriam optimis libris multo antiquiorem contineri, quae res haud sane levis momenti cuiquam videri potest.

Superest ut quibus subsidiis in hac tetralogia recensenda usus sim paucis exponam. et in *Politia* quidem de Parisino, cum nuper denuo contulerint L. Campbell et I. Adam, satis iam constare videtur; in *Timaeo* longe aliter res se habet. scilicet ad calcem editionis suae, quae anno 1838 in lucem prodiit, varietatem lectionis divulgavit G. Stallbaum a Bastio enotatam, ducentis fere locis in hoc uno dialogo cum apparatu Bekkeriano aperte pugnantem. in tanta igitur testium discrepantia, quam tam diu aequo animo tulisse

¹ Cf. Tomi III praefationem.

² *Philologische Studien zu Plato*, II (Lipsiae, 1903).